JOHANNIS CHRISTOPHORI FALCKNERI,

J. U. D. ET PROFESSORIS PUBLICI CELEBERRIMI, CONSILIARII SAXONICI GRAVISSIMI, CURIÆ PROVINCIALIS, SCABINATUS AC FACULTATIS JURIDICÆ ADSESSORIS MERITISSIMI, ETC.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DISCURSUS JURIDICUS, DE

AVTOCHIRIA,

Vom

Selbſt-Mord,

IN CELEB. ACAD. JENENSI

ANNO MDCLXX. HABITA.



HALÆ MAGDEB. TYPIS HENDELIANIS. 1728.

Digitized by Google

Digitized by Google

I. N. D. N. J. C.

PRÆFAMEN.

EXHIBENS

JUS NATURALE

DE

AVTOCHIRIA.

CUm omnis ordinata charitas incipiat a ſeipſa *l. 6. C. de ſerv. & aq.* & majorem charitatem & juſtitiam nobis ipſis debeamus, quam aliis, etiam ipſo jure naturæ, a qua unicuique tributum, ut ſe vitam & corpus ſuum tueatur *Cic. l. 1. de offic. & l. 2. de fin.* Quapropter etiam *Thomas de Aquin. II. 2. q. 65. art. 5.* eleganter in hæc erumpit verba, *dicens:* quamlibet rem naturaliter amare ſeipſam, ſeque in eſſe conſervare, & corrumpentibus, quantum poteſt, reſiſtere. Priorem *Thomæ* aſſertionem, quam, licet alias certam & indubitatam, confirmat *Philoſophus 2. de gener. & corrupt. cap. 10. t. 59. inquiens;* In omnibus naturam id expetere, quod eſt præſtabilius; præſtabilius autem eſſe τὸ εἶναι, quam μὴ εἶναι, & 2. *de anima cap. 4. t. 33. 34.* τὸ ἀεὶ ſive ſemper eſſe θεῖον vocat, & notanter *ait:* πάντα ἐκείνου ὀρέγεται, κἀκείνου ἕνεκα πράττει, ὅσα κατὰ φύσιν πράττει, *i. e. illud ipſum appetunt univerſa, gratiaque ipſius omnia agunt, quæcunque ſecundum naturam agunt.* Alteram quod attinet, ea, præterquam quod ex priori fluat, communi Philoſophorum confirmatur calculo. *Seneca epiſt. 82. ſic ſcribit:* ſui amor (*ſubintellige hominis cujusque*) eſt & permanendi conſervandique ſe inſita vo-

luntas, atque aſpernatio diſſolutionis, quia videtur multa nobis bona eripere, & nos ex hac, cui adſuevimus, rerum copia educere. *Socrates apud Platonem in Phædone:* Sicuti, *inquit*, in hanc vitam ſponte noſtra non venimus, ita nec rurſus ex hoc domicilio corporis, quod tuendum nobis aſſignatum a Deo eſt, ejusdem injuſſu recedendum, qui nos in hoc corpus induxit tam diu habitaturos, donec jubeat emitti. Idem *Cic. in ſomnio Scipionis* hæc in medium profert verba, *dicens:* Piis omnibus retinendus eſt animus in cuſtodia corporis, nec injuſſu ejus, a quo ille nobis eſt datus, ex hominum vita migrandum, ne munus humanum aſſignatum a Deo defugiſſe videamur. Et *Tullius 3. de fin. c. 5.* Simul atque natum eſt animal, ipſum ſibi conciliatur, & commendatur ad ſe conſervandum, & ad ſuum ſtatum, & ad ea, quæ conſervantia ſunt ejus ſtatus, diligenda; alienatur autem ab interitu, iisque rebus, quæ videntur interitum adferre; volucres & omnia animalia contra vim quamcunque ſe defendunt, admoventes ſe propius alis abigunt, nulla vulnera, nulloſque reformidant ictus, usque adeo ſui amore ebriæ ſunt res omnes. Ex præmiſſis his rationibus, ut puto, non poteſt non colligi, quod ſemetipſum lædere, multo magis plane perimere, ipſi adverſetur naturæ: Ipſa enim bruta ſi inſpicimus, illorum feritatem & venenoſos morſus contra ſeſe non adhibent, ſed hiſce alia potius animalia bilem ipſis moventia perſequuntur; Quapropter eo magis homo multis prærogativis antecellens bruta a propria violentia ſibi temperare debet, ne eo ipſo propria culpa ſemetipſum infra beſtias abjiciat, & deterior ſit ipſis beſtiis irrationalibus. Hæ enim inſtinctum naturæ ſequuntur, & ſibi inſita & innata exercent rationis regimine deſtitutæ: Homo vero, quem rationis uſu recto ſibi ſimilem voluit eſſe Deus Ter Opt. Max. adfectus ad prava inclinantes per virtutes Chriſtianas compeſcere, reprimere & corrigere ſcit; niſi extrema & pertinaci malitia ad id ſæpe adigeret ſe ipſum, ut affectibus nimium indulgens ipſis brutis ſe poſtponat, & ſe ipſis reddat deteriorem. Et licet Stoicorum illa ſecta hoc tradiderit, quod permiſſum, licitumque ſit, mortem ſibi nonnunquam potius conſciſcere, quam grave aliquod & acerbum malum pati, uti videre eſt apud *Epictetum in Arian. lib. 1. cap. 24. in f.*

Quod

Digitized by Google

Quod caput eſt, *inquit*, memento apertam eſſe januam, ne ſis pueris timidior, ſed ut illi dicunt, cum re aliqua non amplius delectantur, ſe diutius luſuros non eſſe, ſic & tu, cum quædam ejusmodi eſſe videbuntur, ubi te diutius eſſe luſurum negaris, recedito: *Lucanum lib. 4. ſic canentem:*

Par animi laus eſt, &, quos ſperaveris annos
Perdere, & extremæ momentum abrumpere lucis.

Et *Ciceronem lib. 3. de fin.* Sæpe, *inquit*, officium ſapientis eſt, a vita deſciſcere. Sed de his vide plura *in Philoſ. Moral. Horn lib. 3. c. 5. n. 13.* At nos non ſolum ex doctrina Verbi Divini, ſed & Sacratiſſimorum Impp. Juribus meliora edocti ab illis ſeceſſum facimus, cum clara præcepta & leges Avtochiriam, uti ſcelus illud, quando quis ſibi ipſi mortem infert, ſeque vita ſua privat, dicitur, prohibentes ibidem proponantur & promulgentur, quanquam idem hoc ne quidem jure naturæ, uti ſatis ſuperque jam ſupra oſtenſum, ſit conceſſum. Quare ut Sacratiſſimæ illæ Avtochiriam prohibentes leges magis mihi redderentur notiores, hinc de triſtiſſima hac materia Diſſertationem quandam, quam teſtimonii Academici loco producere aliquando poſſem, qua brevitate fieri poterit, conſcribere ac publicæ Eruditorum cenſuræ exponere mihi propoſui; Ne autem illotis, quod dicitur, rem aggrediar manibus, initium ab auxilio Supremi Numinis, ad quod omne principium, medium & terminus reſpicere debet *Nov. 109. pr.* quo univerſa bene & competenter geruntur *arg. Nov. 6. pr.* quo etiam Duce ad omnia conſilia omnesque actus noſtros ſemper feliciter progredimur *l. 2. in pr. C. de offic. præf. præt. afric.* ut hoc quoque præſens inceptum & propoſitum noſtrum, decens & amabile ipſi fiat, *d. Nov. 6. in pr.* ſumendum ducimus, ipſiusque tremendum ſupplices veneramur nomen, ut ſua gratia hoſce conatus atque labores ita dirigere velit, quo cedant in Ipſius gloriam, publici boni incrementum, noſtrique emolumentum. Quibus oratis, &, ut confido, exoratis, ſine longiori verborum ambage ipſi operæ ſtatim nos accingimus.

Digitized by Google

CAPUT I.

DEFINITIONEM AVTOCHIRIAE PERTRACTANS.

Th. I.

DEfinitio, cum ſit fundamentum totius tractationis, *teſt. Ariſt. 8. Top. 3.* & ſtatuente *Juliano arg. l. 13. §. 3. ff. de reb. dub.* hinc ante omnia erit præmittenda, quo eo facilius & felicius intelligatur id, de quo diſputatur: Quanquam vero iſta ſecundum doctrinam Philoſophorum diſpeſcatur in Nominalem & Realem, ita ut in illa Etymologia, Synonymia & Homonymia contineantur, attamen ut tempori & chartæ parcamus, eam prætermiſſuri & præſuppoſituri ſumus; de hac autem, tanquam magis neceſſaria impræſentiarum agere animus eſt, cum potior rerum, quam verborum cura ſit habenda. Placet autem Avtochiriam, quæ alias ſceleritas ſeu ſcelus vocatur *l. 3. in pr. ff. de bon. eor. qui ante ſent. Conf. Magnif. Dn. Bechman p. t. Academiæ Rector, Patronus, Promotor ac Præceptor meus ſancte colendus, ad ff. tom. 1. Exerc. 1. n. 84.* definire ſeu potius deſcribere tantum, quod ſit actus, quo homo ſeu periculi metu, ſeu malorum præſentium acerbitate ſibimet ipſi manus infert violentas, *vid. t. t. ff. & C. de bon. eor. qui ante ſent.*

Th. II. Lubet nobis, antequam ad alia acceſſum faciamus, quæſtionem illam inſignem tractare atque proponere: An Propricidium ſit jure Romano licitum? Et quamvis reperiantur, qui affirmativam tenent ſententiam: attamen ſententia Negantium nobis non incongrue arridet, præprimis cum ex omni jure hæc fundata inveniatur. De jure naturali in præfatione tantum, quantum ad ſcopum noſtrum pertinet, dictum fuit, & quid multis probare conamur, quæ alias ſunt fidei certiſſimæ apud omnes ſanos?

Th. III. Perſcrutantes autem ſacram & a Deo revelatam ſcripturam invenimus, quod alium impune occidere nequaquam licitum ſit, hinc nec ſemetipſum interficere conceſſum erit (1) ob generale Dei Opt. Max. præceptum: Non occides, *Exod. 20. v. 13. Gen.*

Digitized by Google

Gen. 9. v. 5. & 6. Dn. Gerbard. de Lege Dei cap. 4. n. 155. Jod. Damboud. in prax. crim. c. 88. n. 4. verſ. primum enim. Tiber. Decian. in tractat. crim. lib. 9. cap. 1. n. 2. 8. & 12. (2.) cum nullus unquam ſuam ipſius carnem odio habeat, ſed nutriat & foveat eam, ſicut Dominus Eccleſiam, *ſecundum Apoſt. Paul. ad Epheſ. 5. v. 29.* (3) Deus vitæ & necis conſtituitur Dominus, non homo *Deut. 32. v. 39. Reg. 2. v. 6. Sap. Salom. 16. v. 13. Tob. 13. v. 2.* (4) *D. Paulus in 1. ad Corinth. 6. v. 20. ait:* οὐκ ἐστὲ ἑαυτῶν: Non eſtis veſtri (5) quia non ſtrenui, ſed ignavi eſt militis ſtationem ſuam derelinquere, armisque abjectis fugam arripere *Arr. Men. in l. omne delict. 6. § qui in acie 3 ff. de re milit.* E. multo minus Chriſtianum, ſub Chriſti vexillo militantem, ex hac vita, ærumnis & miſeriis plena, fugere decebit. Noſtra autem vita nihil aliud eſt, quam militia perpetua, *2. ad Timoth. 2. & 4.*; Bene etiam hoc explicat *Joſephus lib. 3. belli Judaici c. 21. ſic ſcribens:* interficere ſe, non eſſe viri fortiſſimi, ſed ignaviſſimi, Deumque indigne ferre arbitratur, cum domum ejus homo deſpiciat. Ab illo enim accepimus vitam, ut eſſemus, rurſumque ut eſſe deſineremus, illi reddendum eſt. Si quis ergo depoſitum hominis male tractaverit, peſſimus ſtatim ac perfidioſiſſimus habetur: Sic qui Dei depoſitum ex proprio corpore ejecerit, maxime peccat. Hujus generis ſimilia dicta vide *apud Egeſip. lib. 3. c. 17.* & alios. (6) quia doceri non poteſt, hanc a Deo hominibus poteſtatem eſſe conceſſam; quo *D. Auguſt. lib. 1. de Civit. Dei c. 20. inquit:* in ſanctis canonicis libris nusquam nobis divinitus præceptum permiſſumve reperiri poteſt, ut vel ipſius adipiſcendæ immortalis vel ullius carendi cavendique mali cauſa nobismetipſis necem inferamus. Et licet in ſcriptura ſacra ſceleratiſſimorum hominum ſemet interficientium exempla, prout Razia ex ſenioribus Hieroſolymitanis, ne traderetur Nicanori, primum gladio ſe petiit, cumque aberraſſet, de muro ſeſe præcipitavit, &, cum ne ſic quidem moreretur, tandem diſcerptis ſua manu inteſtinis periit. *2. Maccab. 14. v. 41. 42. 43. & 46.* Et Saul Rex Judæorum, ne vivus incideret in manus hoſtium, in ſuum ipſius gladium irruit. *1 Sam. 31. v. 4.* Id cum vidiſſet, armiger ejus, quod mortuus eſſet Saul, irruit etiam ipſe ſuper gladium ſuum, & cum eo vitam ſuam finiit *d. l. & c. v. 5.* Similis

mors

mors eſt Samſonis, *Jud. 16. v. 29. & 30.* aliaque plura, legantur, nec enim Propricidia iſta a Deo approbantur, ſed potius aliis ad exemplum proponuntur, quo alii homines eo ipſo deterreantur & ad pœnitentiam redigantur. Ex his itaque præſuppoſitis rationibus, ut exiſtimo, manifeſtum erit, quod Jus Divinum acerrime Avtochiriam prohibuerit; Ad alia jam jura nos convertimus, & quidem ante omnia ad Canonicum.

Th. IV. Nec jure Canonico ſui ipſius occiſio eſt permiſſa. Non enim noſtrum eſt mortem arripere, ſed illatam ab aliis libenter excipere, dicitur *in c. non eſt noſtrum 11. cauſ. 23. q. 5.* Qui enim ſeipſum occidit, homicida eſt, *c. ſi non licet 9. cauſ. 23. q. 5.* cum notabilia ſint verba hujus canonis allegati finalia, quæ ſubjicere placet: Hoc dicimus, hoc aſſerimus, hoc modis omnibus approbamus, neminem ſpontaneam mortem ſibi inferre debere, veluti fugiendo moleſtias temporales, ne incidat in perpetuas, neminem propter aliena peccata, ne hoc ipſo incipiat habere graviſſimum proprium, quem non polluebat alienum: neminem propter ſua peccata præterita, propter quæ magis hac vita opus eſt, ut poſſint pœnitendo ſanari: neminem veluti deſiderio vitæ melioris, quæ poſt mortem ſperatur: quia reos ſuæ mortis, melior poſt mortem vita non ſuſcipit. Quæ quidem verba per omnia transſcripta ſunt ex *D. Auguſtino de civitate Dei cap. 26.* Addatur *c. tu dixiſti cauſ. 23. q. 5.* & *c. diſplicet. verſ. noli cauſ. 32. q. 4.* Hæc de jure Canonico ſufficiant.

Th. V. Imo & jure civili αὐτοχειρία eſt prohibita, cum expreſſi hac de re adſint textus *l. ſ. §. 6. ff. de bon. eor. qui ante ſent. mort. l. omne delictum 6. §. qui ſe. 7. ff. de re milit. l. 38. §. fin. ff. de pœn. l. cum autem 23. §. excipitur 3. ff. de ædil. edict. l ſi quis filio 6. §. ejus qui 7. ff. de injuſt. rupt. vel irr. fact. teſt.* Accedunt & rationes (1.) quod nullus caſus in legibus Romanis poſſit inveniri, quo aliquis ſeipſum occiderit, & ſic affirmative JCti reſponderint, quod ſeipſum occidere liceat, uti tradit *Magnif. Dn. Bechman. ad ff. tom. 1. Exerc. 1. n. 84.* (2.) quod jure civili nec per ſe, nec per alium licitum ſit occidere alterum *l. 1. pr. ibi qui hominem occiderit & §. Divus. 3. & l. 15. ff. ad L. Corn. de ſicar.* nec fœtum etiam in utero materno adhuc exiſtentem extinguere *l. 39. ff. de pœn. Ord.*

Crim.

Digitized by Google

Crim. art 131. & 132. hinc etiam propricidium erit interdictum, cum & illud ſit homicidium; Id quod bene explicant verba *Lactantii Inſt. lib. 3. cap. XIIX. ubi inquit:* ſi homicida nefarius eſt, qui hominis extinctor eſt, eidem ſceleri obſtrictus eſt, qui ſe necat, quia hominem necat, cum tamen, ne occidas, lex moneat, doceat, prohibeat. Ratio conſequentiæ eſt, quod qui prohibet, quod minus eſt culpoſum, prohibet utique quod magis eſt culpoſum, magis autem culpoſum eſt, ſeipſum interficere, quam alium: Qui enim alium necat, corpus ipſius tantum occidere dicitur, cum animam lædere nequeat: qui vero ſemetipſum interimit, certe & corpus & animam nefande perdit, *Jodoc. Damboud. in prax. crim. c. 88. n. 1. verſ. ratio autem. Tiber. Decian. in tract. crim. lib. 9. cap. 1.* (3.) Quod *αὐτόχειρ* offendat Rempublicam & Principem ſeu Magiſtratum, quod hominem occidendo, ſuo bono & cive ſeu ſubdito ſpoliet: quandoquidem intereſt Reipublicæ refertas eſſe liberis hominibus civitates *l. 2. in f. C. de indict. viduit. toll. l. 2. in fin. C. commun. de manumiſſ. l. 1. ff. ſolut. matr.* Quamobrem *D. Adrian.* in ea ſententia ſe fuiſſe teſtatur, ut imperium ampliari hominum adjectione potius, quam pecuniarum copia maluerit, ut patet *ex l. 7. §. 3. ff. de bon. damnat.* cum (4.) Dominus membrorum ſuorum nemo exiſtat *l. liber homo 13. pr. ff. ad L. Aquil.* Unde factum, quod nemo ſe poſſit obligare ad pœnam corporalem *d. l. liber homo 13. ff ad L. Aquil. & l. circumcidere 11. ff. ad L. Corn. de ſicar.* Et ſi abuſus rerum & bonorum noſtrorum in jure prohibitus §. *fin. Inſt. de his, qui ſui vel al. jur.* quanto magis corporis abuſus prohibitus erit. *Dn. Carpzovius in prax. crimin. p. 1. q. 2. n. 26. & lib. 2. Juriſpr. Conſiſtor. def. 376. per tot. Magnif. Dn. Struv. in Evolut. Exerc. 49. theſ. 52. Magnif. Dn. Bechman. ad ff. tom. 1. Exerc. 1. n. 83. usque ad 87. Harpprecht. ad §. juris præcepta 3. Inſt. de J. & J. n. 10. & ſeqq. B. Dn. Hahn. ad Weſenb. parat. ff. tit. ad L. Cornel. de ſicar. n. 8.* ubi ad contraria reſpondent. Quis ergo non videt Avtochiriam jure civili etiam eſſe illicitam atque prohibitam.

Th. VI. Nunc ordinis ductu deveniendum eſſet ad diviſionem, quoniam autem Propricidium in plura diverſa commode dividi poſſe non videtur; idcirco hic diutius ſubſiſtere

Digitized by Google

non lubet ob propoſitam nobis brevitatem, ſed confeſtim ad reliqua nos convertimus.

CAPUT II.

CAUSAS AVTOCHIRIAE EXHIBENS.

Th. I.

PErtractata itaque definitione, ad cauſas nos accingimus. Solet autem αὐτοχειρία variis ex cauſis proficiſci (1.) alius enim propter nequitiam, maloſque mores, flagitium aliquod admiſſum mortem ſibimetipſi infert, ut eo ipſo pœnæ delicto determinatæ ſe ſubtrahat, & dolorem corporis non ſuſtineat *l. 43. §. 4. ff. de ædil. edict. l. 2. pr. ff. & t. t. C. de bon. eor. qui ante ſent. l. 2. C. qui teſt. fac. poſſ.* (2.) alius propter luctum avertendum mortem appetit, manuſque ſibi admovet crudeles *l. 36. §. f. ff. de pœn.* (3) alius furoris rabie, inſania & dementia ductus malum hoc perpetrat *d. l. 2. C. qui teſt. fac. poſſ. & l. 1. C. de bon. eor. qui ante ſent.* (4) alius pudore æris alieni victus, ut conſpectum hominum effugiat, ſe interimit *l. 6. §. 7. ff de re milit & l. 45. §. 2. ff. de jure fiſci.* (5) alius jactationis cauſa mortem adit *l. 6. §. 7. verſ. quod ſi quis tædio ff. de injuſt. rupt. irr. fact. teſt.* Hac ex cauſa olim ex Philoſophis Avtochiri ſunt facti, ut Empedocles, *vid. Horat. lib. de art. poët.* Proteus qui in oculis Græciæ ſe in ignem conjecit. *Philoſtrat. in vita Sophiſtarum in Herod. Gell. 12. c. 6.* Idem familiare fuit etiam Indiæ ſapientibus, *Cic. 5. Tuſc. 6.* (6.) alius vitæ pertæſus & ex valetudinis adverſæ impatientia vitam ſibi abbreviat *d. l. 45. §. 2. ff de jure fiſci & d. l. 6. § 7. verſ. quod ſi quis tædio ff. de inj. rupt. irr. fact. teſt. l. 3. §. 4. ff de bon. eor. qui ante ſent. l. 1. C. eod. l. 38. §. fin. ff. de pœn l. 1. §. 23. ff. ad SCtum Syllan. Jod. Damhoud. in prax. crim. c. 88. n. 1. & 5. & Carpzovius in prax. crim. p. 1. q. 2. n. 29.* Hæc de cauſis impellentibus ad Avtochiriam ſufficiant.

Th. II.

Digitized by Google

Th. II. Modum propricidii quod attinet, cum hic varius ſit, & diverſimode ſcelus hoc perpetretur, placet preſſius aliquo modo eum demonſtrare. Peragunt autem nonnulli ſcelus hoc vel (1.) ſtrangulando, dum laqueo ſe ſuſpendunt *l. 23. §. 3. ff. de ædil. edict. l. 1. C. de bon. eor. qui ante ſent. l. 3. §. 2. ff. eod. l. 7. §. 1. ad L. Aquil.* vel (2.) ſuffocando *l. 4. ff. de agnoſc. & alend. lib.* vel (3.) de ponte ſe præcipitando in aquam, puteumve *l. 17. §. 6. de ædil. edict. arg. d. l. 7. §. 7. ad L. Aquil. arg. l. 7. ff. ad L. Corn. de ſicar. & veneſ. c. diſplicet cauſ. 23. q. 4.* vel (4.) pede ſeu calce ſe percutiendo aut capite *d. l. 7. §. 1. ff. ad L. Aquil. & l. 5. C. ad L. Corn. de ſic.* vel (5) ſumto veneno *l. 1. §. 1. ff. ad L. Corn. de ſic. & veneſ.* & malo medicamento *l. 3. ff. eod. d. l. 23. §. 3. ff. de ædil. edict.* vel (6.) in ignem ſe immittendo *l. 1. C. de emend. ſerv. l. 27. §. 6. ad L. Aquil.* vel (7.) etiam telo *§. 5. Inſt. de publ. jud.* Telum autem vulgo quidem id vocatur, quod arcu mittitur; ſed etiam accipi poteſt pro omni eo, quod manu cujusque mittitur. *§. Item Lex Cornelia 5. Inſt. de publ. judic.* Patet ergo, quod lignum, lapis & ferrum hoc nomine contineantur: dictum ab eo, quod in longinquum mittatur, a græca voce ἀπὸ τοῦ τηλοῦ *i. e.* ab eo, quod eſt longe figuratum, *d. §. 5. & l. 233. §. 2. de V. S.* Differunt autem tela ab armis ſecundum proprietatem ſignificationis, quod tela ſint ea, ut dictum eſt, quibus e longinquo prœliamur; arma vero, quæ corpus tuentur, ab armis *i. e.* humeris dependentia; ſed confunduntur vocabula, quia armorum nomine etiam tela veniunt. Arma vero non ſolum ſunt gladii, haſtæ, frameæ item romphææ, quibus in bellis utimur, verum etiam ſi quæ alia tela ad nocendum facta vel arrepta extra belli cauſam, cujusmodi ſunt lapides, fuſtes, cultelli & ſimilia, quorum uſus extra militiam eſt ad lædendum homines *l. 41. de V. S.* Hæc equidem extra armorum ſupellectilem ſunt, ſi naturalem eorum uſum ſpectes, nocendi tamen conſilio arrepta, armorum appellationem induunt *l. 9. l. pen. §. 1. ad L. Jul. de vi publ. l. 2. C. quæ res export. non deb. l. 14. §. 1. ff. de re milit. §. 6. in f. Inſt. de Interd. l. 1. §. occiſorum 17. ff. ad SCt. Syllan.* Cum armati non tantum ſint dicendi, qui ſcuto & gladio muniti, verum etiam ii, qui tela habent, ad nocendum facta, neque ſolum qui tela

Digitized by Google

ejusmodi,ſed & qui quid aliud habent,quod nocere poteſt,licet nocendi gratia factum non ſit. Satis enim eſt, quod eo animo arripuerint, geſſerint, habuerint, ut nocerent, modo ad nocendum ſit aptum *d.l.9.ff. ad L. Jul. de vi publ.l.3.§.2.ff. de vi & vi arm. Gæddæus ad l. 41. de V.S. n.5. & 8.* Plura autem telorum & armorum genera deſcribuntur *per Juſtinianum in Nov.85. & per Plin.l.7.c 56. & Gell l.10.c.25.* ex quibus varietas peti poteſt. Hæc de modo dicta ſufficiant, cum omnia inſtrumenta recenſere nimis prolixum, quin imo impoſſibile foret. Hoc tamen adhuc notandum eſt, quod manus, conſueto loquendi more pro opera (Hülffe und Mitwirckung) ſumatur, cum ea ad corpus applicetur id, ex quo mors poteſt evenire.

CAPUT III.

FINEM ET EFFECTUM PROPONENS.

Th. I.

FInem, quem αὐτόχειρες maturius ſibi mortem conſciſcentes propoſitum habent, ſi inveſtigamus,maxima ex parte hunc prætendere ſolent, ut eo ipſo ab ærumnis,& meticuloſa anxietate perdendæ vitæ, gloriæ aut rerum temporalium perdendarum timore liberati, citius felicitate fruantur æterna. Sed male ſane iſtiusmodi homines, qui inſtinctu Diaboli ab jurati generis humani hoſtis ad facinus hoc perpetrandum adiguntur, ſpe vana lactantur ſemetque ipſos defraudant, dum non ſolum ſcopum, quem intendunt, non attingunt, & pœnæ, ſi ex mala conſcientia hoc factum, ſe non ſubducunt, cum poſt mortem in cadaver etiam animadvertatur, uti in ſubſequentibus dicturi ſumus,ſed potius æternæ damnationis reos ſe conſtituunt, Diaboloque corpus & animam offerunt, id quod exemplo Judæ proditoris Servatoris noſtri patet,*c. Judas 36.d.cauſ.33. quæſt.*

Digitized by Google

quæſt.3. de pœn. diſt.3. cum ſacra ſcriptura illum ipſum filium deperditum vocat; Cum vero hoc magis ad forum Theologicum, quam ad Juridicum ſpectet, idem eidem relicturi ſumus.

Th. II. Effectus Propricidii, pœnas ſcilicet conſideraturi neceſſum habemus aliquot caſus ponere, cum uno non omnia poſſint includi, præprimis cum circumſtantiæ interdum augeant pœnas, ita ut in cadavere modo gravius, modo mitius animadvertatur. Licet vero in corpus occiſum pœna aliqua ſenſitiva & afflictiva corporis animadverti non poſſit, attamen honeſta eaque frequens ſepultura denegari ſolet, quod ipſum ſatis pœnæ loco eſt, id quod ſatis declarat ſacra ſcriptura, quando enim ibi execrabilis damnationis mentio fit, hoc cumprimis adjicitur, cadaver ſepultura indignum volucrum & beſtiarum prædæ fore: ut & poſt mortem & ſupplicium datum pœna duret *1. Reg.17. v.44. 2. Reg.21. v.24. & 4. Reg.9.v.34. & ſeq. Pſ.79. v.2. Eſ.14. v.19.20. Ezech.39. v.17. & ſeq. Jerem.16. v.46.* Quinimo quod majus eſt ſepultura, in quibusdam criminibus poſt mortem memoria defunctorum damnatur, & bona illorum publicantur, neque crimen morte rei tollitur *Jul. Clar. in prax. crim. §. ult. quæſt.51. n.13. & ſeq. Peregr. de jure fiſci lib. 4. tit.5. n.19. & ſeq.*

Th. III. Sit itaque caſus primus hic: Si Reus ex conſcientia facinoris antea perpetrati de crimine capitali confeſſus & convictus ſemetipſum interemerit & meritum ſupplicium anteverterit, ejus cadaver pro gravitate delicti ex loco ſui homicidii equo pertrahitur usque ad locum ſupplicii, ibique vel diſcinditur vel in furca ſuſpenditur vel rotæ imponitur, vel comburitur *Matth. Coler. p 1. quæſt 107. n.38. Petr. Theodor. in Colleg. Crim. Diſp 10. th.10. in f. Petr. Heig. part. 2. quæſt. 37. num.32. Menoch. de arbitr. jud. quæſt. lib. 2. caſ.285. Anton. Gomez. tom. 3. var. reſol. c. 1. num. 79.* Id quod etiam teſtatur *Carpzovius in prax. crimin. p.3. q.131. n.48. & ſeqq.* ubi inter alia hoc exhibet præjudicium, quod cadaver Latronis, qui pœna rotæ fuit adficiendus, nihilominus, licet propter ſibimet ipſi illatas manus vitam finiret, aliquot enim vulnera lethalia

ſibi inflixerat, adhuc ſit rotæ imponendum: verba præjudicii hæc ſunt: Und wenn er gleich von ſolcher Beſchädigung, ehe und zuvor dieſer Rechtſpruch ankommet, verſterben möchte, würde nichts weniger ſein todter Cörper, weil er ſonſten das Leben, ſo ihm durch Urthel und Recht aberkant, verwircket, an die Feymſtatt oder ans Gerichte geführet, und daſelbſten auf ein Rad, andern zum Exempel und Abſcheu, billich geleget und geflochten, V. R. W. *Menſ. Apr. Anno 1613.* atque ita in Dicaſterio Jenenſi *Menſ. Jun. Anno 1614.* de cadavere veneficæ, quæ ſe ipſam occiderat, deciſum fuit: Der Annen Bierbauchs todter Leichnam iſt andern zur Abſcheu, auf vorhergehende Schleiffung, mit Feuer öffentlich zu verbrennen. Ratio autem hujus aſſerti ex eo patet, quod abſurdum eſſet, ut Reus, qui ſibimetipſi mortem intulit, a pœna eximeretur, qui alioquin graviori ſupplicio adficiendus fuiſſet, præprimis, cum eo ipſo delictum auxit delicto, propricidio ſcilicet. Hæc de illis procedunt, qui de crimine convicti ſibi violentas manus intulerunt. Quæri autem ulterius poteſt: Quid ſtatuendum, ſi incarceratus ſaltem occiſus reperiatur, & poſſit cauſa aliqua, quæ ipſum excuſet, produci, an contra eum inclinet præſumtio, quod ſe occiderit? Reſpondetur negando: cum enim alias præſumtio ſemper in melius fiat *arg. l. 3. §. pen. ff. de bon. eor. qui ante ſent.* neque hac in cauſa in deterius fieri debet, præprimis cum adſit cauſa excuſandi, *Petr. Heig. 2. q. 36. n. 34. Dn. Brunneman Comment. ad Cod. tit. de bon. eor. qui ante ſent. & Magnif. Dn. Struvius Exerc. 49. th. 109.* Aliud vero dicendum de eo, qui ſuſpectus fuit criminis alicujus atrocioris e. gr. veneficii, poſtea vero mortuus reperiatur in carcere, & in cadavere reperiantur violentiæ indicia, huic enim omnino honeſta ſepultura denegatur: Sic inclyta Facultas Juridica Jenenſ. *Menſ. Dec. 1662.* Denen ſämtlichen von H. zu M. reſpondit: Obwohl gedachte M. S. die von unterſchiedlichen Zeugen und andern beſchuldigte Hexerey weder in noch auſſer der Tortur geſtändig ſeyn, noch dieſelbe bekennen wollen, dennoch aber und weilen viel indicia wider ſie vorhanden, auch in der Beſichtigung der Cörper an allen Gliedern ſteiff und erſtarret geweſen, und nur allein der Kopff und Hals ohne einige Mühe hin-

der

der und vor ſich, auch zu beyden Seiten gelencket werden können, ſonſten aber am Leib, Armen und Beinen nichts verſpüret worden, ſo einige Urſache zum Tode geben können, auch kurtz vor ihrem Tode ein übler und böſer Geruch in der Stube geweſen, daß weder der Gerichts-Knecht noch die Wächter darinnen bleiben können, und ſelbigen Morgens vor der Stuben es einen ſchweren Fall gethan, daß ſich das Haus erſchüttert, ſo iſt geſtalten Sachen und Umſtänden nach der tode Leichnam nicht auf, ſondern neben den Gottesacker zu verſcharren. V. R. W. Et merito quidem honeſtus locus, in quo ii, qui in fide in Chriſtum mortui requieſcunt, denegatur ei, qui fidem diabolo dedit.

Th. IV. Caſus ſecundus pertractat eos, qui ex alia cauſa, quam ex conſcientia facinoris ſibi mortem inferunt, puta tædio vitæ, pudore ob æs alienum, aut nimia avaritia, qua ob temporis ubertatem, in frumento forſan recondito, viliori pretio diſtrahendo, diſpendium & jacturam rei familiaris metuunt (ſicuti non raro opulentiſſimi & avariſſimi ruſtici ex tali cauſa ad ejusmodi facinus perpetrandum a Diabolo inſtigantur) ſepultura honeſta privantur, non per oſtium & ſuper limen (eo quod indignus judicetur per illud oſtium & ſuper limen efferri, per quod quis vivus exierit) ſed quibusdam in locis vel per foramen & foveam ſub limine aut ſub tecto domus factam funibus extrahitur *Everh. Jun. 2. conſ. 23.* vel ex feneſtra dejicitur, poſteaque per Carnificem ſupra raſtrum in locum infamem, ultimorum ſuppliciorum executioni aut brutorum cadaveribus deſtinatum, tanquam canis foras projicitur, educitur, & absque ullis ceremoniis, veluti Germ. loqui amant, ohn Geſang und Klang, ſepelitur, *Schneidew. in §. juris præcepta 3. n 6. Inſt. de J. & J. & in §. religioſum 9 n. 9. Inſt. de rer. diviſ. Heig. lib. 2. q. 36 n. 64. & q. 37. n 32. & 33. Beuſt. ad l. admonendi n. 179. ff. de jurejur. & Gloſſa in* Land-R. *lib. 2. art. 31. n. 3. lit. b.* ubi hæc reperiuntur verba: Wiſſe auch, daß die Pomp und Pracht, die man pfleget denen zu beſtellen, die ſich ſelber tödten, wenn man ſie zu Grabe führet, iſt eitel Fantaſey. Denn man ſoll ſie zu Recht auf keinen Kirchhoff begraben, noch für ſie bitten. Quæ ſepultura dicitur Canina atque Aſinina *Jerem. 22. v 19.*

ibique

Digitized by Google

ibique Gloſſa Peregr. de jure fiſci lib. 4. tit. 4. n. 10. inf. Philipp. Knipſchild *de jure civit. Imperial. lib. 5. cap. 20. n. 35. & ſeq. Joh. Jac. Speidel. in ſuo ſpecul. tit.* Begräbniß, *58. §. hæreticis, c. placuit cauſ. 23. q. 5. & in c. ex parte x. de ſepult.* Ex moribus quarundam regionum ejusmodi Αυτοχιρ vaſe incluſus in profluentem, aquam projicitur. *Petr. Theodor. in Colleg. crim. diſp. 7. th. 6. lit. g.* Eſtque hæc ignominioſa ſepultura ideo introducta, ut alii exemplo tam triſti deterreantur, iisque horror injiciatur, quo a malo propoſito, ſi quid in mente fovent, deſiſtant, *arg. l. capitalium 28. §. famoſos. 15. ff. de pæn. l. 31. pr. ff. depoſ.*

Th. V. Caſus tertius ſiſtit eos, qui ſine animo fraudulento, ex furore potius, nimia melancholia, morbo, aliave animi impotentia violentas adhibuerunt manus: Hi commiſeratione digni ſunt, adeoque ad bonam Eccleſiæ ſpem de ſervata anima, licet corpus perdiderint, traduntur ſepulturæ Eccleſiaſticæ & precum Eccleſiaſticarum efficiuntur participes, quum Eccleſiaſtica pietas a ſacræ terræ inhumatione & a communibus precibus tales non arceat, ſed in omnibus ut dignos ac legitimos filios agnoſcat & recipiat; ut cæteri quique pie in cœmeterio ſepeliendi & reliquis officiis Eccleſiaſticis cum decenti pompa lugubri participandi *Jodoc. Damboud. in prax. criminn. c. 88. n. 5. & 7.* Verum hodie etiam, ſi aliquis vitæ antea bene & pie tranſactæ bonum habet teſtimonium, illius cadaver in cœmiterio, attamen vero in loco ſeparato ac ſepoſito, vel ut Germani dicunt, an die Maur und Wand, humatur; ſed ceremoniis moderatioribus, quia omni culpa non caret, dimidia tertiave parte Scholarium funus comitante, *Confer Magnif. Dn. Bechman. ad ff. tom. 1. Exerc. 1. num. 88.* Unde in ejusmodi caſu Sereniſſ. Saxon. Elector. *Menſe Jun. Anno 1630.* Quæſtori Misnenſi hunc in modum reſcripſit: Uns iſt dein unterthänigſter Bericht, Margarethen M. S. Eheweib, ſo man über dem Dorffe Zehren tod in der Elbe gefunden, betreffende, gebührlich vorgetragen worden. Wann dann daraus zu vermercken, daß dieſer klägliche Fall aus einer langwierigen Beſchwerung hergerühret, und das Weib ſich ſonſt Chriſtlich bey ihrem Leben

ver-

verhalten: Als begehren wir hiermit gnädigſt, du wolleſt dem Manne verſtatten, daß er, bey ſo geſtalten Sachen, ſein Weib mit der halbe Schule und Geleuthe uff den Kirchhoff, jedoch an einen abgelegenen ſonderbaren Ort, beſtatten laſſen möge, &c. Idem hoc etiam Divum Lutherum ſenſiſſe, ut ſcilicet ceremoniæ politicæ aliquo modo propter exemplum reſtringantur, refert *Petr. Heig. p. 2. q. 36. n. 74.* Moderationem tamen ceremoniarum Judicio Eccleſiaſtico relinquunt *Petr. Heig. d. loc. n. 77. & Dn. Carpzov. lib. 2. Juriſpr. Conſiſt. def. 377. & ſeq.* Sic Inclyta Facultas Jurid. Jenenſ. *h. A. Menſ. Januar.* W. G. von E. reſpondit: Iſt am 10. hujus zu Nacht M. S. zu T. nachgebliebene Witwe vom Schlaff und Bette auffgeſtanden, deſſen von ihren dreyen Töchtern, ſo in der Kammer, und die jüngſte Tochter bey ihr im Bette gelegen, keine gewahr worden, des folgenden Morgens aber, nach erfolgter Nachfrage und Suchen in dem Brunnen im Hofe todt gefunden worden. Ob nun wohl man eigentlich nicht wiſſen kan, ob ſie ohngefehr oder aus Schwermuth zu dieſem Unfall kommen, oder ſonſten durch Gewaltthätigkeit in den Brunnen geſtürtzet worden, ſo iſt der Cörper vor allen Dingen mit Zuziehung eines erfahrnen Wund-Artztes Gerichtlich zu beſichtigen, ob etwan einige Anzeigung zugefügter Gewaltſamkeit, und darauf erſt vorgenommener Brunnenſtürtzung an derſelben zu ſehen oder zu vermuthen, Ingleichen auch dero Töchter, an Eydes ſtatt, was ihnen eigentlich davon wiſſend, zu examiniren und zu vernehmen; Würde ſichs nun befinden, daß kein Vorſatz bey der Ertrunckenen oder euſſerliche Vergewaltigung zu verſpüren, ſo iſt der Cörper uff vorgehende Cognition des geiſtlichen Conſiſtorii, in Anſehung ihres Chriſtlich geführten Lebens und Wandels, davon ihr Seelſorger atteſtiret, mit Chriſtlichen, jedoch wenigern Ceremonien, als ſonſten gebräuchlich, uff den gewöhnlichen GOttesacker zur Erden zu beſtatten, V. R. W.

Th. VI. Cum in caſibus præmiſſis de delicto Avtochiriæ perfecte conſummato, ubi ſcilicet mors evenit, actum ſit; quæri hac occaſione non incommode poteſt: Quanam pœna illi

Ii ſint plectendi, quibus quidem mortem ſibi inferendi animus fuit, ſed ab aliis impediti fuerunt, ut factum non conſummatum nec mors ſecuta: veluti ſi quis laqueo reperitur ſuſpenſus, & abſcindatur antequam moriatur, vel ſi quis ſemetipſum vulneravit animo occidendi, & tamen effectus non ſecutus, aut ſi quis ex fonte, in quem ſe præcipitem dedit, adhuc vivus extrahatur? Reſpondendum erit ſub diſtinctione; aut enim quis ex tædio vitæ, impatientia doloris, ex deſperato animo, furore ductus, vel alia animi impotentia ſemetipſum vulneravit, percuſſit, ſuſpendit, aut alio modo ſibi nocuit, tunc ab omni pœna immunis eſt *l. f. §. ſic. autem 6 in f. ff. de bon. eor. qui ante ſent. ibique Gloſſa l. 38. § 12. ff. de pœn. l. 6. § 7 ff. de re milit. Farin. part. 5. crim. quæſt. 128. n. 39. Decian. in tract. crim. lib. 9. cap. 3. n. 4. verſ. aut vero non metu pœnæ &c.* Potius enim talis commiſeratione dignus, hinc a magiſtratu ejus Confeſſionarius, & alii verbi divini fideles concionatores, aut devoti & pii homines ſolent ipſi adjungi, qui ipſum in rectum vitæ æternæ tramitem reducant, & a crimine cœpto dehortantur, id quod patet ex Reſponſis Lipſienſium *a Carpzovio in prax. crim part. 1. q. 2. n 39. & 40.* adductum. Aut vero extra hos caſus, utpote ex avaritia, vel pudore æris alieni ſuffuſus ſeſe interficere volens impeditus eſt, & tunc pœna arbitraria eſt plectendus, vel remotione ab officio, ſi quo fungitur αὐτόχειρ, vel fuſtigatione & perpetua relegatione vel mulcta, vel carcere vel exilio temporali pro ratione ſcilicet circumſtantiarum *d. l. f. §. 6. ff. de bon. eor. qui ante ſent. Gomez. tom. 3: var. reſolut c 3. n. 14. Menoch lib. 2. de arbitr. jud. quæſt: cent: 3. caſ. 248. n. 24. Farin. part. 5. crim. q. 128. nu. 37 Jul. Clar. in pract. Crimin. §. fin quæſt. 68. n. 28 verſ. ſe ipſum occidere volens. Bartol. in l. 1 §. Divus. 3. ff. ad L. Corn. de ſicar. & venef. Jaſon. in l. 1. § f. ff. quod quiſque jur. Hippol. de Marſil. in l. ſi mulierem. 8. ff. ad L. Corn. de ſicar. & venef.* Speciale tamen in militibus obtinet; ſiquidem prætendere poſſunt, ſe tædio vitæ aut impatientia doloris, morbi luctusve aut furore aut pudore ſibi inviſam abrumpere lucem voluiſſe, cum ignominia tantum e militia mittuntur *d. l. 6. §. 7. de re milit. & l. 38. §. f. ff. de*

pœn.

Digitized by Google

pœn. Si vero tale quid prætendere nequeunt, tunc capitali pœna adficiuntur *d. tex.* gravius enim milites quam pagani delinquunt, ex triplici ratione; quarum (1) eſt, quia milites non ſolum faciunt contra officium ſuum, de quo videatur *Bernh. in ſermone exhortationis c. 2. de militia ſeculari,* verum etiam peccant contra ſacramentum militare, quod deſerere militibus prohibet, ut conſtat *ex Gloſſ. ad l. milites. 45. verb ſine periculo Ex quib. cauſ. major. Joan. Roſin. lib. 10. antiq. Rom. c. 3. & Liv. lib. 2. decad. 3.* (2) quia miles ſe interficiens videtur remp. in magnum conjicere periculum; eo enim tempore ſe ſubtrahit reip. quo multis militibus opus habet. (3) & ultima ratio eſt, quia milites majorem animi conſtantiam atque fortitudinem oſtendere debent, quam cœteri homines, ideoque ſeveriori pœna etiam ſunt plectendi, *Menoch de arbitr. judic. quæſt. lib. 2. c. 284. n. 23. 24. Gramm. deciſ. 44. n. 4. Petrus Pappus a Tratzbergk in ſuis annot. ad jus milit. Holland art. 3. lib. 6. pag. 24. Carpz. in prax. crim. p. 1. q. 2. n. 50.*

Th. VII. Cum in theſi præcedenti mentio facta ſit liberationis, ita ut mediante hac delictum Propricidii non ſit conſummatum; hinc quæri ulterius poteſt, num is poſſit puniri qui alterum vitam ſibimetipſi adimere volentem liberavit v. gr. in puteum immiſſum extraxit, ſuſpenſum abſcidit, vulnera lethalia ſibi infligere volenti manus retinuit, atque ita effecit, ut vivus permanſerit? Quod negatur, licet enim alias ex more & conſuetudine cautum ſit, ne quiſquam corpus illius, quod ſuſpendio periit, aut alio modo violentas manus ſibi deſtinato intulit, manibus attrectet & auferat, niſi Carnifex ex judicis ac prætoris mandato: aliud tamen eſt dicendum ſi ſuſpenſus vel alias vitam ſibi extincturus adhuc vivit, cum non ſolum Chriſtiana charitas ſvadeat, ſed & ipſa divina præcepta efflagitent, ut proximo noſtro in vitæ periculo conſtituto, in quod ſive propria ſive aliena culpa, aut etiam caſu incidit, ſuccurramus, manus auxiliatrices ei præbeamus, eoque ipſo id efficiamus, ut tum corporis, tum animæ periculum evadat, quo poſtea pœ-

Digitized by Google

nitentia ductus, potius hæres vitæ æternæ, quam portio infernalis exiſtat. Ex hiſce liquet, quod liberans talem nullam pœnam poſſit incurrere, id quod etiam patet ex Reſponſo Lipſienſium *Menſ. Febr. Anno 1662.* ad conſultationem M.F. zu N. Als ihr uns Gerichtliche Regiſtraturen, und etlicher auf gewiſſe Articul eydlich abgehörter Zeugen Auſſage zugeſchicket, und euch, ꝛc. D. ſ. w. v. R.: Iſt Eva, Zachariæ Hendels Wittib, auf ihrem Boden in ihrem Blute liegend, und ihr die Kehle abgeſchnitten, befunden worden, ſo zwar auffgehoben, aber die Stunde hernach verſtorben. Ob nun wohl ein blutiges Meſſer dabey gelegen, dahero vermuthet wird, ob habe dieſelbe ſich ſelbſt ermordet, zumahl ſie eine Zeit zuvor kranck geweſen, dahero wegen des Cörpers Begräbniß, und, wie ſolches anzuſtellen, gezweifelt werden wil. Dieweil aber dennoch ungewiß, ob die Verſtorbene vorſetzlichen ſich umgebracht, oder welcher geſtalt ſie in ſolches Unglücke gerathen, auch ſonſten ihres guten Lebens und Wandels, und Gottesfurcht wegen bey männiglichen gutes Gerüchts, n. m. i. der überſchickten Acten; ſo wird der Cörper ihren Freunden zur gewöhnlichen Sepultur billich überlaſſen, jedoch wird das Begräbniß ohne ſonderbahren proceſs angeſtellet; Und mag denen Perſonen, ſo ſich der verwundeten Frauen angenommen, ſie getragen, und beſichtiget, nichts unerbares oder verweißliches zugemeſſen werden: Dafern auch ſolches von jemand geſchehe, wird daſſelbe der gebühr nach, beſtraffet. V. R. W.

Th. VIII. Ulterius etiam pœnam, quam αὐτόχειρες poſt mortem ſequitur, in teſtamentaria materia videmus, cum teſtamentum a Propricidis conditum non indiſtincte valeat. Ut vero eo accuratius res omnis percipi queat, & quorum Avtochirum teſtamenta valeant, qvæve minus, diſtinguendum eſt: an ex dolore corporis, aut impatientia adverſæ valetudinis aut aliqua furoris rabie & animi impotentia qvis ſeipſum occiderit: an vero qvis ob conſcientiam criminis & ſuſtinendæ pœnæ metum cruentas ſibi manus intulerit, atqve ita ſupplicium morte prævenerit. Priori caſu cum αὐτόχειρες nullam incurrant pœnam, uti jam tum dictum th. præcedent. neqve etiam

bona

bona ſua amittant, hinc eorum teſtamentum etiam valebit *l. 6. §. 7. ff. de inj. rupt. irr. fact. teſt. l. 1. §. 23. ff. ad SCtum Syllan.* Idemque procedit, licet quis tædio vitæ, mœrore, pudore æris alieni vel ex ſimili cauſa ſe occidit *l. 3. §. 4. & 6. ff. d. bon. cor. qui ante ſent. l. ſi quis 38. §. f. ff. de pœn. L. 45. §. bona ejus 2. ff. d. jure fiſci l. 6. §. 7. ff. de re milit* Poſteriori vero caſu factum teſtamentum vires ſuas amittit. Rationes hujus rei hæ ſunt, qvod Propricida, qui ſe propter delictum commiſſum occidit, habeatur pro confeſſo & convicto, quinimo pro condemnato; hinc cum ex jure ff. damnatus ad mortem ſervus pœnæ fuerit effectus *l. 12. ff. de pœn. l. 17. pr. ff. eod. l. 29. ff. eod. l. 6. §. 6. ff. d. inj. rupt. irr. fact. teſt.* Servi vero indiſtincte omnes teſtamenti faciendi jus non habent *pr. inſt. qvib. non eſt permiſs. fac. teſt. l. 6. ff. qui teſt. fac. poſs. l. 3. §. 1. C. eod. Weſenb. in parat. ff. d. pœn. n. 9. circa f. Schneidew. in §. ſervi autem 4. n. 5. Inſt. d. Jure perſon. Matth. Berlich. p. 3. concl. 8. n. 3.* hinc nec Avtochiri teſtamentum valebit, qua de re ſunt expreſſi textus *in d. l. ſi. quis 6. §. ejus qui 7. verſ. nam eorum. ff. de inj. rupt. irr. fact. teſt. l. qui rei 3. in pr; ff. d. bon. eor. qui ante ſent. l ſi is qui 2. in f. C. qui teſt. fac. poſſ.* Accedit & hæc ratio quod nempe ejusmodi homines, qui damnatis æquiparantur nulla habeant bona, quæ poſſint teſtamento relinqui, quippe cum fiſcus eadem ſibi vindicaret *l. qui rei. 3. §. 1. & §. 8. ff de bon. eor. qui ante ſent. l. 1. C. eod.* Et hæc ita in jure ff. obtinuere. Verum jure noviori cum confiſcatio & publicatio bonorum in damnatis non amplius locum habeat. *Auth. bona C. de bon. proſcript. ſ. damnat.* præterquam in Crimine majeſtatis & hæreſeos *Nov. 134. c. 13. in f. Auth. Gazaros C. d. hæretic*: Hinc ſequitur, qvod tantum illorum, qui ex hiſce duobus criminibus Majeſtatis & Hæreſeos ſemetipſos interfecerunt, teſtamenta corruant, cum in his ſolum publicatio bonorum locum habeat, uti jam dictum. Aliorum vero, qui crimen admiſerunt, propter quod jure noviori bona non confiſcantur, licet pœnæ futuræ metu voluntaria morte ſupplicium anteverterint, teſtamenta valida ſunt. *Benſt. ad l. admonendi de jurejur. n. 1180. p. 753. Schneidew.*

Digitized by Google

dew. ad §. penult. Inſt. de J. & J. n. 6. Weſenb. in π. tit. d. pœn. n. 9. in f. Finckelthaus. obſervat. 43. n. 28. & 29. Quod clare etiam deciſum *in Conſtit. Crim. Caroli V. art. 135.* quæ verba, cum rem omnem bene illuſtrent, placet ea hic ſubjicere: Wann jemand beklagt, und in Recht erfordert, oder gebracht würde, von Sachen wegen, ſo Er der überwunden, ſein Leib und Gut verwircket hätte, und aus Furcht ſolcher verſchuldeter Straffe ſich ſelbſt ertödet, des Erben ſollen in dieſem Fall ſeines Guts nicht fähig, oder empfänglich, ſondern ſolch Erb und Güter der Obrigkeit, der die Peinlichen ſtraffe, Buß oder Fälle zu ſtehen, heimgefallen ſeyn. Wo ſich aber ein Perſon auſſerhalb obgemeldter offenbahren Urſachen auch in Fällen, da er ſeinen Leib allein verwircket, oder ſonſt aus Kranckheit des Leibes, Melancholey, Gebrechlichkeit ihrer Sinn und ander dergleichen Blödigkeiten ſich ſelbſt ertödtet, derſelben Erben ſollen derhalben an ihrer Erbſchafft nicht verhindert werden.

TH. IX. Ex his itaque patet, qvod, cum fiſcus bona Propricidarum hodie non amplius occupet, exceptis caſibus Criminum Majeſtatis ac Hæreſeos, illa, ſi nullum teſtamentum confectum, ad legitimos heredes perveniant, tam de jure civili *l. f. §. 4. cum ſeq. ff. de bon. eor. qui ante ſent. l. in fraudem 45. §. 2. ff. de jure fiſci l 6 §. 7. in f. ff. de ini. rupt. irr. fact. teſt. confer. Schultz. in ſynopſi Inſt. ad tit. d. hæred. quæ ab inteſt. defer. pag 284 d. Conſt. Crim. Caroli V. art. 135.* quam de jure Saxonico. Weichbild. *art. 26. in gloſſ. n. 7.* verb. Diſ ſich ſelber tödten. &c. Landr. *lib. 2. art. 31. in pr. in verb.* Wer ihm ſelber den Todt anthut, ſein nächſter Erbe nimt ſein Gut, *junct. ibi Gl. lat. lit. a & Gl. ord ſuper verb.* oder, wer ihm ſelbſt den Tod: *Et Gl. ord.* Landr. *lib. 1. art. 5. ſuper. verb.* mit welchem Gut. *n. 10. verſ.* wider dieſes iſt, & *ibid. in Addit.* Atque ita apud Saxones judicatum fuiſſe atteſtantur *VVeſenb. in parat. ff. tit. d. bon. eor. qui ante ſent. Philipp. in uſu pract. ad Inſt. pag. 387.* Quæri autem hic poteſt, cum *αὐτόχειρες* legitimos habent heredes: Num Carnifices jure ſibi vendicent ea omnia

Digitized by Google

omnia, quæ in loco, ubi propricidium ſive homicidium ſui ipſius commiſſum & cadaver poſitum, reperiantur, quæ ſcilicet ipſi ſtantes juxta cadaver, infra, ſupra, ſurſum ac deorſum in circumferentia gladio attingere poſſunt, ſo weit ſie mit dem Schwerdt reichen können? Quod negatur, cum enim in jure noſtro ne verbulum quidem de hoc extet, nec ulla ratione juris nitatur; hinc quod litera non cantat, nec nos cantare debemus, præprimis cum ſine lege erubeſcamus loqui, uti Dd. regula ſonat. Si tamen legitima conſuetudine a Carnificibus hoc introductum, & hæc per debita requiſita, de quibus *confer. Magnif. Dn. Struv. Exerc. 2. th. 20.* poſſit demonſtrari, tunc hoc ipſis concedi ſolet, quod teſtatur *Dn. Carpzov. in prax. crim. p. 1. q 2. n. 32. & lib. 6. Reſponſ. 102. per tot. Magnif. Dn. Bechm. ad ff. tom. 1. Exerc. 1. n. 88. Philipp.* Knipſchild *de jure & priv. civit. Imper. lib. 5. c. 10 n. 37.* Quod patet etiam ex Reſponſo Lipſienſium ad requiſitionem C. J. Feldmeiſters zu W. *Menſ. Mart. Anno 1622.* Hat ſich vorwenig Wochen zu W. in Amts-Gerichten eine ledige Weibes-Perſon in ihrer Schlaff-Kammer ſelbſt erhencket, in welcher Kammer eine Lade, darauff ſie bey der Erhenckung getreten; Wie dann auch noch eine andere Lade, ſo kaum eines Schrittes weit von der erſten geſtanden, ingleichen ein Feder-bette verhanden geweſen, welche Laden und die darinnen befindliche Sachen, neben dem Bette, da damahls, wie die erhenckte Perſon von dir abgehauen, und mit deinem Pferden an gehörigen Ort abgeführet worden, zu dir und mit hinweg genommen. Nach mehrem Innhalt deiner Frage: So biſtu angeregte Sachen an den Ort allda ſolche geweſen, hinwieder zu bringen ſchuldig. Es wäre dann in Amte W. durch eine beſtändige Gewohnheit hergebracht, und über verwährte Zeit unverbrüchlich alſo gehalten worden, daß dem Meiſter, welcher ſolche Perſonen abhauen, und an gewöhnlichen Ort ſchaffen muß, alle dasjenige, was über, unter, um und neben denſelbigen Perſonen, und ſo weit man mit den Schwerdte reichen kan, befunden wird, gefolget werde, deſſen genöſſeſtu auf ſolchen Fall. V. R. W. Cujusmodi Conſuetudinem Erffurti vigere dicunt.

dicunt. Hic ſubſiſto & pedem figo, tum ratio inſtituti ac penuria temporis, dum accelerans ex illuſtri hac Jenenſium Univerſitate diſceſſus in medium plura proferre prohibet; Si quæ forte minus bella & dextra videantur, Te Benevolum Lectorem rogo, ut ea omnia æqui boniq; conſulere ac in optimam interpretari velis partem. Tandem Deo Ter Opt. Max. pro his, quæ in chartam conjeci, atque ad placidam ventilationem propoſui, gratias ago quam maximas, Iſte & Celeberrimam hanc Academiam Salanam, noſtrosque Patronos ſecundet, ſtudiaque noſtra augeat clementiſſime, cui ſit gloria & nunc & in æternum nunquam intermoritura.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google